

linearis, basi latior, lineam, aut sesquilineam longa, sub quovis pedicello adhuc minor, ovato-lanceolata. Cephalum pluriflorum, tamen angustum. Calathus cylindraceus, circiter quinque-sex lineas longus, caliculatus squamis brevibus, subtriserialibus, ovato-lanceolatis, margine membranaceo-pallentibus, externis brevioribus. Calathi squamae intima octo, caeteris multo longiores, lineares, obtusiusculae, vix margine membranaceae. Semiflosculi pallide flavi, instructi tubo filiformi, longo, ligula dilatata, oblonga, apice multidentata, extus circa faucem villosa. Receptaculum nudum. Achenium ovatum, compressum, angulatum nervis distantibus, sub vitro minute ruguloso-scabrum, maturitate nigrum, rostro suo brevissimo multo longius. Pappus sessilis, simplex, niveus, achenio cum rostro triplo longior, pilis tenuibus, sub vitro remote scabridis. Tota planta glabra.

NABALUS.

Cass. Dict. d' hist. nat. tom. 34. p. 94. Hook. Fl. bor.

Amer. 1. p. 293. De Cand. Prodr. 7. sect. 1. p. 240.

2. *NABALUS quercifolius*: glaber; caule superne ramoso-paniculato; foliis remote denticulatis, angulatisve, inferioribus alato-petiolatis, tripartitis, laciniis lateralibus horizontalibus, impari trifida, supremis indivisis; paniculae ramis racemiferis, cephalis secundis; calathis glabris, squamis internis subdenis.

Perenn. Habitat, et floret cum praecedente.

Radix fusiformis, vel fusiformi-ramosa. Caulis teres, striatus, et subinde fere angulatus, erectus, a sesquipede ad tres pedes longus, plerumque glaber, rarius subpilosus, apice solutus in ramos alternos, paniculatos, ut plurimum rubescens. Folia inferiora petiolata, opposita pinnatifida, sive tripartita, lacinia impari productione, trifida, lateralibus horizontalibus, indivisis, suprema indivisa, oblonga, vel lanceolata; breviter petiolata, aut sessilia; cuncta remote calloso-denticulata, vel etiam angulata, acuta, aut obtusa, margine nuda, aut subciliata, reliqua superficie glabra, supra saturate viridia, subtus pallidiora. Petioli alati, in foliis imis

longissimi. Panicula terminalis, e ramis caulinis, simplicibus, vel subdivisis, patulis, apice racemiferis, racemis paucicephalis, cephalis approximatis, secundis, nutantibus, breviter pedicellatis, pedicellis sparse bracteolatis. Folia floralia sub ramis primariis paniculae foliis caulinis supremis similia; suprema, et in ramis racemiferis multo minora, lanceolato-lineararia, vel lineararia. Calathus cylindaceus, glaber, rarius setulis paucis, remotis adpersus, atrovirens, vel ex atroviridi purpurascens, calyculatus squamis linearibus, multo brevioribus. Ejus squamae internae octo-decem, lineares, quinque-sex lineas longae. Ligulae albae, apice quadri-quinquelacinulatae. Stilus cum crusculis longe exertus, totus hispidulus, crusculis revolutis. Receptaculum alveolatum, nudum. Achenium compresso-teres, longum, lineare, multistriatum, glabrum, flavo-croceum. Pappus sessilis, multisetus, simplex, sordide albens, et fere stramineus, sub fortiori vitro scabridus.

Species media inter *Nabalum trilobatum* Cass., et *Nabalum Fraseri* De Cand., ab utroque tamen satis distincta foliis, et calathis, nec non racemis in paniculam laxam dispositis. Descriptio nostra desumpta fuit a viginti exemplaribus siccis.

HIERACIUM.

Sect. *Leiocephala* De Cand.

3. *HIERACIUM caulophyllum*: cauli base alterne folioso; foliis lanceolatis, subtus, margineque setosis; panicula pauciflora, subcorymbosa; pedunculis filiformibus, rectis.

Perenn. Habitat, et floret cum praecedente.

Caulis teres, striatus, erectus, simplex, inferne foliosus, et subsetosus, superne nudus, sesqui-bipedalis. Folia latiuscule lanceolata, integra, aut remote subdenticulata, supra nuda, margine, et subtus prope marginem, inque nervo setosa, tenuitur venosa, venis non coloratis, radicalia paulo majora, caespitosa, acutiuscula, in petiolum brevem angustata, caulina plerumque quatuor, alterna, inter se remota,